



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Bobo Conf. 23. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

23. Maii. VITÆ SANCTORUM. 331
afferre in imminentem pugnam; cuius ei
copiam Agrippa impius Prætor fecit, qui
ferro soleatum, clavis plantam pene-
trantibus, cursu nihilominus æquare
citatam quadrigam coëgit. Subinde à
Trajanâ hospitio acceptus aridæ arbori,
sub quâ recubuerat, vitam reddidit fron-
desque; credo ne capiti coronæ deessent:
frons e iam ad pedes martyris scaturiit,
hanc vicem reddentē terrâ, cum sangui-
nem ejus bibisset: eo prodigio non sitis
tantum comitum ejus, sed perfidia etiam
extincta est. Paulò post etiam alteri ele-
mento imperavit, devocatoque de celo
igne, Deorum delubrum exussit: ipse
capite imminutus, & in proximum flu-
men sparsus, maximo & ultimo mira-
culo nihilominus ad beatitatis littus e-
natavit. *Ex Menais.*

*Quid faciemus sub æterni judicis maje-
state? qua nobis subsentura est pœnitentia,
quam in hac carne contempsimus? qua nos
defensura sunt opera bona, qua in vitâ non
egimus? ad quos sanctos confugiemus, quo-
rum exempla simul & verba despeximus?*
S. Pet. Dam. l. 1. Ep. 6.

S. BOBO CONF. 23. Maii.

Quo tempore Mauri Hispaniâ potiti,
Galliam etiam Narbonensem mali
vicini terrebant, fuit BOBO noster pa-
trix suæ propugnaculi instar, homo nobi-
lis

332 VITÆ SANCTORUM. 23. Maii.
lis cæterâ & militaris, sed qui sub sago
tegere sciret virtutem, raram inter mili-
tes armaturam. Fortè hostis Fraxinetum
insulam infederat, & crebris inde ex-
cursionibus multum rem Christianam
vexabat. Hic BOBO ducibus Aposto-
lorum Petro ac Paulo spolia opima vo-
vet, arma non hostis, sed sua: positu-
rum se ista, nec Ducem jam militum,
sed pupillorum patronum fore. Ad hæc
gratum se quotannis Romam iturum, &
liminibus victricibus osculum laturum.
Annuere Divi, & per quietem visi ani-
mos addiderunt BOBONI; ille mox
militibus; quibuscum per medios ho-
stium cuneos arcem ingressus, non modò
obsidione hanc liberavit, sed barbarum
regem insulâ exiit, itaque terrorem à
Galliâ longè amovit. Et hic triumphus
BOBONIS de hostibus fuit; alter de
ipso BOBONE. Fratricidæ obvius, nu-
tante aliquandiu in vindictam animi
acie, sui tandem egregius victor, spoli-
um ex inimici vultu osculum suspendit. Por-
rò arma exiit, & orphanorum jam Dux
annis singulis pedes triumphum suum
Romam duxit, dum ex itinere denique
mortuus in cæleste Capitolium est in-
vectus. Mortui tumulum quotquot ani-
malia calcarunt, in vestigio mortua
monuerunt incolas, ut eum cancel-
lis à profanâ terrâ secernerent, & tem-
plo honorarent. Ossa denique Ticinum
trans-

24. Maii. VITÆ SANCTORUM. 333
translata memorant, pompæque, quo
augustior hæc foret, lumina è cælo, &
stellam adfuisse. *Ex Ferrar.*

*Confirma amicitiam cum SS. Angelis;
intra in civitatem Dei: Apostolis Marty-
ribusque sociare; unde illi gaudent, inde
gaudeto. Horum divitias concupiscito, &
per bonam emulationem illorum suffragia
ambito: cum quibus enim fuerit consor-
tium devotionis, erit & communio digni-
tatis. S. Leo serm. 5. de Epiph.*

S. SIMEON STYLITES JUNIOR.

.24. Maii.

Hominem cælestem, an terrestrem
Angelum SIMEONEM malis dice-
re, tanto magis dubitabis, quantò re-
ctius noveris. Voti parentum concessus
fururæ sanctitatis vatem Christi ante am-
bulonem Joannem habuit, qui ne quid
in victus parsimoniâ concederet, jejunia
in cunis inchoavit, lævo matris ubere,
velut ominis causâ semper abstinens.
Sexto ætatis anno ab hominum consor-
tio in loca sola secessit, nunquam tamen
solus, cælitibus eadem cum eo casâs ha-
bitantibus. Ex quo tempore incommo-
da naturæ vel non sensit, vel inusitatis
fomentis sustentavit, nectare, vel quo-
cumque nomine appellari lubet delicias
divinitatis, pastus. Exacto in hunc mo-
dum sexennio in cœnobium immigravit,
magnâ